

tem capitis damnasset, sectarios ejus Instantium Hispanum Episcopum, & Tiberianum publicatis bonis in Syllinas insulas deportari jussit. Eumque qui in motu Cassiano vaticinatus erat, & multa quasi instinctu Deorum dixerat, in hanc insulam (ut credunt quidam) relegavit Marcus Imperator, qui pro Syria insula Siliam Insulam libenter legunt, cum Syria insula nondum sit Geographis nota. Relegatio five deportatio in insulas eo ævo exilii genus erat, Provinciaque præfides ita relegare poterant, si sub se insulas haberent, sin minus, Imperatori scribebant, ut ipse insulam reo assignaret, nec ejus corpus qui in insulam relegatus abierat, non licebat Principe inconsulto, alibi transferre, & sepelire.

Vlpianus lib. 7. de Mathematicis. Relegatio in insulas.

In medii temporis scriptoribus harum Sillinarum insularum ne nomen quidem usquam occurrit, nisi quod Rex Athelstanus subjugaverit, & reversus Ecclesiam S. Berianæ, vel *Burienæ* extruxerit in ultimo Britannia ad Occidentem promontorio, ubi terram conscendit.

Vide pag. 136.

Contra has ad Gallicum littus Ossissimis, five Britannia Armorica præjacet AXANTOS Plinii, quæ nomine integro etiamnum *Vshant* vocatur, Antonino VXANTISSENA, qua una dictione, duæ coaluerunt, VXANTIS scilicet, & SENA. Hæc enim insula inferius est nunc *Sayn*, quæ *Bresta* objecta SIAMBIS nonnullis exemplaribus, & *Soumos* corrupte Plinio dicitur, circa quam ab Ortum in Occasum plus minus septem milliaria procurrunt confertissimi scopuli, potius quam insulæ. De hac accipe quod Pomponius Mela refert. *Sena in Britannico mari Ossissimis adversa*

Axantos. Vshant.

Siambis.

The Scame nautis.

*littoribus Gallici numinis oraculo insignis est, cujus antistites perpetua virginitate sancta numero novem esse traduntur, Galli Zenas, vel Lenas, vocant sic potius cum Turnebo lego, quàm Gallicenas) putantque ingenii singularibus præditas maria ac ventos concitare carminibus, seque in qua velint animalia vertere, sanare qua apud alios insanabilia sunt, scire ventura, & prædicere, &c. Huic aliæ subtenduntur insulæ, Isles aux Motton juxta Penmarc .i. Caput Equi, Gleran è regione antiquæ *Blavie* (quæ hodie *Blavet*) *Grois* & *Bellisle*, quas VENETICAS vocat Plinius. Venetis enim Britannia Minoris adversæ sunt, qui nescio an ita nominati quasi piscatores. *Venna* enim prisca Galorum lingua hoc significare videtur. Hos Venetis Italiae authores fuisse existimat Strabo, qui etiam prodit navali pugna eos cum Cæsare congressuros fuisse cum Britanniam cogitaret. VENETICAS has insulas NESIDAS ex Dionysio Afro nonnulli vocant, cum tamen Græco codice Νηϊάδων μέγ. .i. Insularum tractus legitur. De quibus ex illo Priscianus.*

Venetis. Insula Veneticæ. Nesidas. Vannes. Venna Caroli .i. piscatio Caroli Helgardo.

* Samnitum.

*Nec spatium distant Nesidum littora longè,
In quibus uxores * Ammitum Bacchica sacra
Concelebrant hederæ foliis, tectæque corymbis.
Non sic Bistonides Absinthi ad flumina Thraces,
Exertis celebrant clamoribus εἰσαφείδων.*

Quod etiam Festus Avienus sic expressit.

*Hinc spumofus item ponti liquor explicat æstum,
Et brevis è pelago vortex subit: hic chorus ingens
Fæminei cæterus pulchri colit Orgia Bacchi,
Producit noctem ludus sacer: æra pulsant*

*Vocibus & crebris latè sola calcibus urgent.
Non sic Absynthi propè flumina Thraces, & alma
Bistonides, non qua celeri ruit agmine Ganges,
Indorum populi statâ curant festa Lyæo.*

Bellise vero inter has prædictas *Nesidas* esse Strabonis ex aliorum fide autoritas convincit. Ligeris enim ostio præjacet, & in opposita Gallicæ regione SAMNITAS posuit Ptolemæus. Sic enim Strabo: *In Oceano autem Insulam esse ajunt parvam, non plane in alto sitam, objectam ostio Ligeris: in ea habitare Samnitarum mulieres, Bacchico instinctu correptas, quæ Bacchum ceremoniis & sacrificiis demereantur: nullum eò virum venire, sed ipsas navigiis æpectas cum viris suis coire, atque inde in insulam reverti: moris quoque esse, ut templi tectum quotannis auferatur, eademque rursus die ante Solis occasum integatur, una qualibet mulierum onus apportante: cui onus excidat, eam ab aliis discerpi: & eas frustra inter euandum ad templum congerentes non ante finem facere quam furore solvantur: semper autem usu venire, ut una de iis onere elapso ita lanietur.* Sic prisca scriptores de Orbis terrarum extremis mendaciuncula, & fabellas contextere juvit. *Quæ autem de Cerere & Proserpina magis sunt, inquit ille, probabilia. Perhibent enim insulam esse Britannia propinquam in qua Deabus his sacrificetur eodem ritu quo in Samothrace.*

Cum autem Britannicum Mare usque ad Hispania littus, & excursum Pyrenæi protendi scribat Mela, qui ipse natione Hispanus, possem & hîc memorare *Normonstier*, *Liste de Dieu*, *Liste de Rey* salis marini proventu insulas notissimas; verum cum antiquis Geographis ne nominentur quidem, mihi satis sit nominasse. Proxima autem insula quæ hodie *Oleron* à Plinio VLIARI nomine celebratur, quæ in sinu, ut inquit ille, Aquitanico, ad ostium Charontionis fl. nunc *Charrente*, multas habuit immunitates à Regibus Angliæ tunc Ducibus Aquitaniae concessas. Quo tempore navali disciplina & gloria adeo floruit, ut hæc maria legibus in hac insula latis anno CIO CCLXVI non minus ac olim Mare Mediterraneum legibus Rhodiis, regerentur.

Lib. 2.

Oleron. Vliarus.

Nihil aliud nunc restat, cum è tot cæcis Oceani vadis, & asperis Antiquitatis cautibus eluctata tandem enavigarit oratio, quam ut nautæ olim Neptuno vela lacera, aut tabulam votivam; sic ego etiam aliquod, DEO OPT. MAX. & VENERANDÆ ANTIQVITATI Anathema consecrarem, quod libens merito nunc voveo, & suo tempore Deo volente vota solvam. Interea meminerit lector, me cum invido, & edaci illo hoste TEMPORE, hoc in opere colluctatum fuisset, de quo Græcus optimè cecinit:

*Ἀρχαίως φέρεται πρὸς χρόνον, ἀλλὰ παρέργων,
καὶ φωνὰς κλέπει φθεγγόμενων μερόπων.
καὶ μὴ φαινόμενον τὸς φαινόμενος ἀφανίζῃ.
καὶ μὴ φαινόμενος, εἰς φανερόν ποσφείδ.*

Ego verò illo Mimnermi disticho, quod verissimum esse novi, me identidem affari, & consolari soleo:

*Τὸ στυγρὸν φρένα πέρι, δυσπληγῶν δὲ πολλῶν
Ἄλλος τίς σε κακῶς, ἀλλ' ἀμείνον ἐρεῖ.*

*Oblestes animum, plebs est morosa legendo,
Ille benè de te dicit, at ille malè.*

F I N I S.

Soli Deo Gloria.



CIVICA BIBLIOTECA
GIANNI LUIGI BERGARI

Marg
u
H36